

**Dissertatio inauguralis medica, de lassitudine spontanea morborum praenuntia, juxta normam Aph. V. s. II. considerata / [Georg Andreas Mueller].**

### **Contributors**

Mueller, Georg Andreas.  
Fischer, J. A.  
Universität Erfurt

### **Publication/Creation**

Erfurt : Grosch, 1728.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/xekmtxn4>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**LASSITUDE**  
**SPONTANEA MORBORVM**  
**PRÆSENTIA,**  
JUXTA NORMAM APH. V. S. II. CONSIDERATA;

QVAM  
VELIFICANTE NVMINIS SUPREMI GRATIA,  
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO  
REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO,  
**DN. PLACIDO,**  
REGALIS MONASTERII S. S. APOSTOLORVM PETRI ET PAULI ORD. S.  
BENEDICTI INTRA ERFORDIAM ABBATE, PRÆPOSITVRÆ ZELLENSIS  
ET IN FRANCKERODA AD VERRHAM DOMINO, S. FACVLTV.  
THEOLOG. ASSESSORE PRIMARIO, ETC.  
AMPLISSIMA FACVLTATE MEDICA IN PER - ANTIQVA  
HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,  
SVB PRÆSIDIO

LAVDATISSIMI ORDINIS MEDICI DOMINI DECANI ET SENIORIS  
**DN. D. JOH. ANDREÆ FISCHERI,**  
CONSIL. ET ARCHIATR. ELECT. MOGVNT. PATHOLOG. ATQVE PRAX. PROF.  
PVBL. PRIM. NEC NON MED. PROVINC. DVCAL. ISENAC.  
PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,  
**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA LEGITIME ADIPISCENDI,

PVBLCÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET  
**GEORG. ANDREAS MÜLLER, Tribella-Lusatus,**  
*Med. Practic. Coldicensf.*  
IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

D. II. OCTOBRIS, A. R. S. M DCC XXVIII.  
ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.









## PRÆMONENDA.



Itam nostram in jugi atque perpetua motuum vitalium & animalium successione consistere exinde luculenter patescit, clarissimeque constat, quod chylicationis, sanguificationis, circulationis, respirationis, nutritionis, se- & excretionis &c. integritas quam maxime ad conservandam vitalitatem inserviat; ea vero non nisi ab inturbatis motionibus derivanda: Dum principia corporis animati, vitale & animale, easdem inchoant, fluida, arteriosum & nerveum, continuant, organa demum pro diversitate conformationis specificæ exsequuntur. Hinc vitam cum Helmontio haud incongrue definiveris, quod sit principium



pium formale, cujus beneficio animalia agunt, quod agere jussa sunt; vel quod sit motus intestinus & avtomaticus, quo corpora generata & viventia nutriuntur & augmentantur. Etenim organa illa diversa, ex quibus corpora viventium coagmentantur, totidem machinulas avtomaticas, e variis tubulis & canaliculis compositas, succisque balsamicis, spirituosiss & elasticis repletas, repræsentant, ideoque fabricata videntur, ut, quamdiu fluida prædicta ibidem rite moventur, tamdiu quoque avtomata ista vivant, nutriantur & augmententur; quemadmodum, ex adverso, motu isto cessante, eadem dissolvuntur pereuntque. Quoniam vero inter functiones corporis animati id discriminis intercedit, ut vitales ad vitæ existentiam, animales ad motum & sensum magis necessariae existant, quibus vitæ præsentia manifestatur; hinc in foro pathologico singulæ suas quoque patiuntur afflictiones, a principii moventis congrui dispositione p. n. varia dependentes, qua ratione, prostratio virium, v. g. animi deliquia & syncope, ad facultatem vitalem læsam potius, lassitudo, contra, imbecillitas



tas & paralyfis, ad facultatem animale[m] languidiorem, spectant, sola graduum differentia, utriusque facultatis sive morbos, sive symptomata, discriminante. Et quia lassitudo cum imbecillitate præ reliquis id sibi peculiare vendicat, quod etiam quandoque in statu naturali, vel si mavis neutro, observetur, prætereaque in morbis quam plurimis frequens & molestum symptoma constituat, atque sic non solum morbum præsentem comitetur, sed quoque imminentem præsignificet, quemadmodum ab Hippocrate *Aph. V. S. II.* docemur: Ideoque hoc thema inauguraliter pertractandum mihi impræsentiarum sumsi, sensum illius textus genuinum explicando, & quod ad Medicum Practicum exinde spectat, exponendo. Ut vero labor hicce ex voto succedat, & applausum eruditorum mereatur, divinam supplex opem imploro, nec non L. B. æquum iudicium etiam atque etiam mihi expeto.

§. I.

**Q**uando Hippocratem *aph. 5. S. 2.* ita loquentem legimus, *κόποι αυτόματα φέρουσιν νόσους* spontaneæ lassitudines morbos denuntiant, ipsum circa id versari palam est, ut doceat, languores



ex nullo corporis aut animi motu laborioso natos, multumque à moderato recedentes, si in toto corpore sentiantur, febres, si in parte hac vel illa tantum, morbos particulares prænunciare, quandoquidem ex ipsis morbi causam quandam latentem adesse significetur: Itaque spectare ad Medicum, ut commoda remedia in tempore adhibendo, futuros morbos præcaveat, maturata prophylaxi instituta, antequam materia morbifica orgasmum concipiat, & in morbum manifestum erumpat. Ut vero prædicta plenius capiantur, sciendum est, lassitudinem aliam esse naturalem, aliam non naturalem, aliam præter naturalem: Ista causam manifestam externam agnoscit, veluti exercitia corporis magna & multa, labores animi, inedia, evacuationes nimias artificiales, eaque sanis etiam competit, propter dissipatos spiritus vitales & animales prius novo pabulo refarciendos: Illa potius a causa interna occulta, nullo præcedente motu nimio, alimentive defectu, oritur, atque in statu neutro, sive decidentiae, viventibus familiaris est: Hæc demum morbos præsentis sequitur, eorundemque symptoma constituit. Atque de secunda specie aphorismus hic intelligendus, ubi quidem lassitudine pressi, ob materiae morbificæ ad constituendum morbum insufficientiam, non dum revera ægrotant, ad morbos tamen valde sunt dispositi.

§. II.

Lassitudo hæc spontanea, Græcis κόπος αὐτόματος, fatigatio ultronea, quæ nulla extrinsecus vi infertur, dicta, Latinis languoris fortuiti, gravitatis membrorum citra causam evidentem nomine veniens, & penes Germanos



manos per vocabula Müdigkeit/ Mattigkeit/ Schwere der Glieder/ müde seyn und nicht gearbeitet haben/ expressa, in se & generaliore conceptu dispositionem membrorum ad motum cum molestia & pigritia significat, commodeque describitur, quod sit affectio corporis, qua pleræque functiones animales ob debilitatem quandam succi nervei præpedite ac minus vegete exercentur, unde potentia loco motiva vacillat, & ita affecti otium & secesum amant, corporis exercitia & labores devitant, pensa quævis ægre suscipiunt, eaque statim delassati remittunt. Atque de hac ipsa loquitur, Senec. Epist. 74. seqq. *Quædam etiam segnitia nervis inest, & sine labore ullo lassitudo & oscitatio & horror membra percurrentes.* Et Celsus l. 2. c. 2. Hoc ante valetudinem adversam protinus timeri debet, si graviora membra sunt, si genua fatigata, totumque corpus lassitudinem sentit. Ea vero specialius & in sensu Medico Pathologico considerata, denotat *organorum corporis animati motui animali dicatorem cum molestia, & pulsu parvo ac debili, ineptitudinem, eamque sponte subortam, a fibrarum motricum imbecillitate, sanguinis copia vel spissitudine inducta, atque Spirituum animalium influxu impedito proveniente, & morbi cujusdam appropinquantis indicium subministrantem.* Scilicet ad mentem Hippocratis melius percipiendam, distinguamus necesse est, inter lassitudinem *ut symptoma, ut morbum, ut morbi causam, & ut diversum quid a recensitis;* quatenus juxta tenorem textus, hic nondum morbus quidam adest, nec lassitudo morbum constituit, nec talem producere, quin potius impendentem vel pro ratione gradus, futurum quoque, denunciare dicitur, ideoque signi diagnostici & pro-



prognostici vice modo fungitur, ostendentis, apparatus morbosum intra corpus latentem usque adeo invaluisse, ut subito in actum prorupturus, hominemque in statum p. n. exquisitum præcipitaturus sit, id quod τὸ φεάζουσι loquitur, emphatice significat.

§. III.

Cæterum lassitudo ratione modi vel doloris diversas habet species, nempe *tensivam*, *phlegmonosam*, *ulcerosam* & *ossifragam*: Ista ex dolore gravante; illa ex dolore pulsante & æstuante; hæc ex dolore pungente; ossifraga ex dolore contundente judicatur. In *lassitudine tensiva* partes musculosæ & fibrosæ, ob sanguinis vasa sanguifera distendentis copiam collabascunt, spiritibusque animalibus expansionem necessariam molientibus viam intercludunt: In *lassitudine phlegmonosa* partes membraneo fibrosæ ob sanguinis bilioli effervescentis & rarefcentis imminutum per vasa motum progressivum, atque ad cæcos meatus carniū secessum, incallescunt, & molestis pulsationibus afficiuntur: In *lassitudine ulcerosa* partes membraneo nerveæ, ob impuritatem lymphæ salino acrem erosæ, nerveique succi vigorem deperditum a tono dejectæ, velut acubus compunguntur: In *lassitudine ossifraga* periostium & tendines ossibus adhærentes, ob sanguinis flatu turgentis in ventillas ibidem existentes effusionem congestionemque vehementius distenta atque pressa, talem inferunt molestiam, qualem alias ob osse confracto percipimus; inde vero robore suo privantur ossa, & vel a levissimo motu protinus læduntur. Ex quibus nunc liquet, quod lassitudine tensiva prehensi affectibus comatosis; lassitudine



tudine phlegmonosa correpti, inflammationibus; lassitudine ulcerosa affecti, ulceribus cancrofis; lassitudine ossifraga afflicti, convulsionibus cumprimis sint expositi, & proinde habeant, ut curent in tempore, ne forte illorum conditio tandem in deterius labatur.

§. IV.

Quibus in gratiam allegati aphorismi præmissis, ulterius progrediamur oportet, & quidem ad rem nostram nunc propius. Cum enim in §. II. organorum motui animali inservientium mentio facta fuit, in quorum ineptitudine formalis lassitudinis ratio quærenda; utique nunc exponendum est, quasnam corporis animati partes per eadem intelligamus, insimulque declaremus, cui præcipue parti molesta sensatio ista, tanquam subjecto convenienti, inhæreat. Itaque, si Anatomiam & Physiologiam consularius, per organa ejusmodi nil nisi expansiones carneo-tendineæ, sive musculi formati, congeriem fibrarum nunc laxius nunc arctius cohærentium & in fasciculos collectarum exhibentes, intelligendæ sunt, ita tamen, ut tota machina organum adæquatum, fibræ motrices vero principale, constituent; quicquid enim musculus agit, id fibrarum beneficio solummodo præstat, sive partium corporis, quibus implantatur aut incumbit, flexionem & extensionem, sive elevationem & depressionem, sive adductionem & abductionem, sive circumactionem, sive constrictionem moliatur, eoque ipso reliquarum partium translocationem, & motum animale progressivum spontaneum instituat. Ut vero totum hoc negotium plenius comprehendatur, ex Anatomicis repetendum, quod fi-



bra motrix primaria ac propria musculi pars sit, & minutissimarum fibrillarum, sibi mutuo secundum longitudinem immediate junctarum certa compages, cujus intermedia pars ab extremis differt consistentia, crassitie & colore, & ab intermedia parte vicinarum fibrarum motricum separata est per fibrillas membraneas transversas, propriæ musculorum membranæ continuas, adeo, ut hanc à musculo deglubere haud liceat, quin hic in tot fasciculos distinctos divellatur, quæ fibræ transversales cum vasis sanguiferis capillaribus plexus reticulares formant maxime conspicuos, & telas aranearum referentes: Atque hæ ipsæ fibræ carnem intermediam ac tendines in extremitatibus musculi efficiunt. Nempe caro est pars mollis, lata, crassa, coloris in homine rubicundi, & fibrillis membranaceis diversis circumdata; tendines sunt extremitates tenues, duræ ac albæ. Quæ disparitas a modo tantum substantiæ diverso emergit, quatenus media sui parte fibræ laxiores laxius cohærent, & sanguinem quoad penitiora admittunt, hincque inflantur & tumidiores evadunt, in extremis arctius compinguntur, & sanguinis affluxum excludunt, aut certe notabiliter moderantur. Ex quibus facile colligitur, fibras prædictas, si non tubulosas, minimum porosas sive cavernosas existere, inprimis ratione partis intermediae, in quas arteriarum furculi capillares deponunt sanguinem cum lymphâ, per venas & lymphaticas, post præstitum officium, revehendum.

§. V.

Atque hæc est fabrica mirifica musculi motibus locali-



calibus voluntariis, five spontaneis, corporis animati intervientis, quibus adminiculandis insuper præsto sunt nervi, qui deposita, simulac substantiam musculosam ingrediuntur, tunica exteriori, per infinitos ramos ad omne musculi punctum distribuuntur, ita ut ultima carnosæ substantiæ pars omnis nervea videatur. Præterea concurrunt arteriarum ramificationes complures quaquaversum sparsæ, quæ, dum tandem in venas capillares terminantur, rubedinem musculo conciliant. Denique astant in finibus musculi fila tenuissima, substantiæ tenacis, compactæ, solidæ, exuccæ, arctissime adunata, five tendines, quorum interventu ille partibus movendis, five sint ossa, five cartilagine, five membranæ, nectitur. Quibus omnibus rite se habentibus, & f. n. constitutis musculus pariter suam functionem in movendis & promovendis membris primariam, contractionem nempe, carnis intermediæ abbreviatione & elongatione alterna momentanea, legitime exequitur, dum compages carniū in actione modo crassescit & rigescit, tendinesque corrugatis aliquantum fibris transversalibus & rectis sibi invicem propius adducuntur, modo relaxatur & priori dimensionī restituitur; atque motionum ejusmodi reciprocationibus actio musculi perficitur.

§. VI.

Quoniam vero instrumenta utcunque exquisite constructa, sine principio dirigente, vel impellente, ad destinatas ab artifice operationes haud sufficiunt; ita nec recensita musculi fabrica elegans, motum animale, quem natura intendit, ex sola conformatione sua,



nisi sublimiori virtute adjuta, efficiet. Atque hæc ipsa in principio movente intrinseco, sive *Spiritu animali* in fluido nerveo, & *Spiritu vitali* in sanguine hospitantibus residet, quos generatim ad motum ciere musculos, vel exinde probatur, quod nervis obstructis, compressis, constrictis aut laceratis, ipso momento vis musculorum cessat, & arteriis ligatura constrictis, paulo post motus perit, & solutis redit juxta Boërhaav. *Institut. Medic. p. 89.* Ita tamen, ut in motione animali Spiritus animalis instinctus ordiatur, & vitalem ad concursum incitet, unde etiam notabilis illa substantiæ musculosæ sub contractionis actu intumescencia dubio procul derivanda, quam sive a sanguinis musculorum fibris interflui salino sulphurea substantia cum fluido nerveo effervescente, sive ab alternis, inter moleculas sanguineas spiritusque animales contingentibus, pressionibus & restitutionibus, durante motu animali, deducere velis, perinde est.

§. VII.

Existentiam ejusmodi substantiæ subtilissimæ, fluidissimæ, aeræ & elasticæ, quam *spiritum vitalem* & *animalem* vocamus, pluribus hic comprobare, a nostro quidem instituto aberrat; interim tamen annotasse juvabit, humores æque ac partes organicas per se & absque principio alio movente, ad motus vitales, tam intestinos, quem circulares, & animales progressivos plane insufficientes esse; sed requiri insuper principium valde activum æthereum internum atque connatum, particulis subtilibus elasticis ab aere in inspiratione & ab alimentorum particulis activis receptis, intime unitum:

Quan-



Quandoquidem aer alias movens illud catholicum est, quo subtracto per antliam pneumaticam, vita quoque animalibus subtrahitur, & reddito, redit vid. Bohn. *Circ. Anatom. Prog. 19.* & El. Cramer. *Dissert. de Spirit. animal.* Speciatim spiritum animale[m] urgent phænomena motus & sensus, quæ neque à reliquis partibus fluidis, neque solidis, proficisci possunt, it. cerebri atque nervorum peculiaris conformatio, peculiarem functionem suadens; it. illis male se habentibus, sensus pariter & motus cessatio, aut, minimum, imminutio. Et licet utraque hæc substantia spirituosæ, si originem spectes, homogenea videatur, & actionibus quibuscunque promiscua; attamen dum in organis diversis successive evoluta, diversimode modificatur, & imprimis per cerebri ac nervorum conformationem determinatur, alii prorsus usui inservit, atque motuum animalium & sensationum variarum auctor evadit.

§. VIII.

Quibus ita de physiologia motus animalis expositis, nunc a diverticulo quasi in viam redeundum, ostendendo, eadem illa organa *Subjectum* lassitudinis illius, de qua Hippocrates loquitur, existere, quatenus omnes recensitæ partes musculum integrantes hic languent, & non naturaliter sunt constitutæ. Cum primis illæ denotantur corporis animati partes, quæ evidentioribus motuum voluntariorum mutationibus dicatæ, nunc totius corporis progressui spontaneo, nunc hujus, illiusve partis translationi famulantur, secundum quam unacum loco pristinum situm, pristinamque figuram magis sensibilibiter mutant, verbo, *membra* & *artus*: His enim a



morboſo apparatu urgente & turgente gravatis torpen-  
tibusque, motiones voluntariæ, lenes etiam cætero-  
quin & leves, ſegnius inſtituuntur, cum difficultate ſuc-  
cedunt, & languido fibrarum tono mox remittente,  
non, ut debent, perdurant, hinc iſtæ quærelæ, es liegt  
mir wie Bley in Armen und Beinen/ ich kan vor Müdigkeit  
kaum aufſtehen/ ich weiß meiner Müdigkeit kein Ende; & ta-  
les nec quies, nec ſomnus, feſſorum membrorum alias  
ſolatium, juvat, ſie ſtehen eben ſo müde wieder auf/ als ſie  
ſich niedergelegt haben; quin & pulſus, ob arteriarum tu-  
nicam fibroſo nerveam flacceſcentem ſenſim imminu-  
tus, debilior ſentitur: Interim tamen ſub hoc ſtatu non  
naturali omnimoda virium proſtratio, aut artuum reſo-  
lutio nondum adest, quippe quæ ſtatum mere p. n. de-  
mum ſequitur, & morbi præſentis vehementiam in-  
dicat.

§. IX.

Quod *Prognofin* laſſitudinis noſtræ attinet, ea in al-  
legato aphoriſmo habetur, cui ſi addamus, quod laſſitu-  
do ſpontanea ſucceſſiva morbos futuros & utpluri-  
mum chronicos, præceps vero impendentes & acutos  
denunciet, eaque, quorum in §. III. ſpeciatiim facta fuit  
mentio, non eſt, quod longius iſtius conſiderationi in-  
hæreamus; quin potius ad laſſitudinis ætiologiam nos  
convertimus.

§. X.

*Cauſa* hujus moleſtiæ *immediata* eſt fibrarum mo-  
tricum imbecillitas ad motus oſcillatorios naturales  
inchoandos & rite continuandos, unde motus muſcu-  
lorum ſyſtaltici & diaſtaltici, quibus mediantibus mo-  
tio-



tiones animales locales perficiuntur, cum evidenti segnitie & tarditate, contra voluntatis instinctus, procedunt. *Causa mediata* & in sanguine & in principio movente animali consistit; quatenus ille vel plenitudinem concepit, vel lentorem visciditatemque contraxit; hoc vero nunc a sufficienti influxu sive irradiatione arcetur, nun elasticitatem spiritibus convenientem eo usque perdidit, ut expansiones illas tubulorum nerveorum & substantiæ musculosæ non nisi languide instituat. Sequitur namque motus animalis tum ordinatum ac perpetuum, tum a voluntate pro re nata & affectu vario determinatum spirituum animalium motum per nervos ad musculorum omnium, selectorumve fibras; quorum motuum neuter cum integer consistere possit cum conturbato, perversoque spirituum animalium motu, necessum, ut in tali casu motus animalis torpeat, præclare differente Sylv. *Prax. Med. l. 1. c. 34. §. 75.* Hinc novimus, quod sub temperamentis sanguineo-phlegmatico, & sanguineo-melancholico ad intemperiem inclinantibus, viventes, ut & scorbutici, M. S. vappidam, crudam, viscidam, proptereaque difficulter mobilem, fibrisque crispandis ineptam habent, perpetua laborent lassitudine, & ad motus animales prompte instituendos impotentia; quandoquidem sanguis lentus viscidusque idoneus non est spiritibus animalibus copiosis ac subtilibus ex se promendis. Ex quibus sequitur, plethoram & cacochymiam pituitosam vel separatim, vel conjunctim, hic locum invenire, non obstante pulsu parvo ac debili, cujus in definitione mentio facta, qui alias sub statu corporis plethorico magnus, undosus & robustus esse so-



solet, is enim sub intemperiei incrementum, in statu decidentiae, atque morbofo ingruente, simulac congestiones & stases augentur, notabiliter alteratur; sanguinis enim redundantia impedit, ne spatii & loci defectu copiosus in arterias expelli possit sanguis, nec proinde idem intra cordis ventriculos valde, satisque rarefieri, cordisque parietes multum explicari, rursumque complicari queant, juxta illud: Ubi omnia sunt plena, ibi parvus est motus. *Causa* denique *remota* in rebus non naturalibus quærenda est, in illis quidem potissimum, quæ vel plethoræ, vel cacochymiae pituitosæ, vel fibrarum motricum relaxationi nonnaturali occasionem suppeditare possunt, qua ratione, aeris constitutio austrina diuturnior paulo juxta *aph. 5. § 17. Sect. 3.* polyphagia & polyposia, juxt. *aph. 4. 9. § 17. Sect. 2.* somnus & otium, juxt. *aph. 3. Sect. 2.* cum primis hic veniunt notanda; siquidem ea, quæ promiscuam inferunt noxam, huc non quadrare videntur; sed quæ in statu neutro viventes præ aliis, faciliusque afficiunt, ideoque pro causis lædentibus manifestis communiter non habentur.

§. XI.

Restat nunc, ut nostri promissi memores, punctum Medicum quoque tangamus, ostendendo, quidnam, ejusmodi lassitudine occurrente Medicinæ Practico, si consulatur, sit agendum. Et quidem in tali casu *officium curatorium* cessare certum est, quoniam nec morbus, nec ejus causa, nec symptoma, secundum annotata superius in §. 2. sed solummodo mali ominis signum adest, & ab Hippocrate tractatur; ad quod in tempore, prius-



priusquam in symptoma mutetur, concinnata prophylaxi anteverendum, Medicus *officium præservatorium* adhibeat: Hic enim maturato opus est. Itaque in *lassitudine a plethora V. S. depletoria, a cacochymia pituitosa* humoris visceri correctio, ipsiusque redundantis, aut omnimodam emendationem respuentis, per alvum & urinam evacuatio, posteaque partium solidarum lassitudine pressarum *roboratio* indicabitur; hac tamen cautione, ut evacuationes utrobique successive & repetitis vicibus instituantur, ne tantillum, quod superest, virium, peritus prosternatur, & natura remedii impetu fracta sese recolligere nequeat; quippe omne nimium naturæ inimicum. Quibus præmonitis ad *corrigen- dam cacochymiam pituitosam*, eamque sic ad promptiorem evacuationem præparandam, commendamus, digerentia, incidentia, attenuantia, ex vegetabilibus aromaticis, oleosis, sale volatili & fixo turgidis, gummosis & resinosis balsamicis, nunc vino aut cerevisiæ infusis, nunc in formam electuarii, trageæ aut pilularum redactis, nunc in salia volatilia oleosa concentratis, & quotidie inter prandendum, coenandumque, vel citius, tardiusve usurpandis, pilulæ vero, cum Vitriolo Martis ad albedinem calcinato paratæ, matutinum aut vespertinum tempus sub introitum lecti exposcunt, institutis simul membrorum frictionibus blandis cum linteo quadruplicato calido, gummatum suaveolentium fumo infecto, quorum omnium & singulorum formulæ elegantes ex supra citato Cl. Sylvii libro peti poterunt, ad quem proinde lectorem curiosum remittimus. Pro scopo *evacuationis alvine* infusa Purgantia quidem egregie



gie conveniunt, sed pilulis nil datur commodius, conficiendis ex MP. de Succino Crat. MP. Tartar. Querc. Pilul. Beccher. vel Balsamic. Hoffmann. quibus, pro ratione circumstantiarum, nunc Extract. Rhabarb. fol. Senn. Agaric. & Elleb. nigr. nunc Extract. panchymag. Croll. c. Mercur. Dulc. addi possunt: Et cum abstinencia quoque ac jejunium exploratam vim habent in humore viscido absumendo, & ad meliorem frugem reducendo; utique consultum erit, purgato satis corpore, reliquias hoc modo tollere, & M. S. omni ex parte redere defæcatam. Pro scopo diuretico rad. 5. aperient. c. ̄reis & ̄ aperit. Penot. feligantur. Partium solidarum motui animali inservientium *roborationem* præstabis, si pristinam ipsis aptitudinem ad æquabiles & regulares itus & reditus suos restitueris, insimulque fluido nerveo vim suam elasticam, qua muscoli impelluntur, ut in repetita contractione & dilatatione simul ossa & reliquas partes connexas, alias immotas & firmas, secundum articulationum leges vertant & rotent, eoque ipso simul totum corpus, vel partes ejus, de loco in locum transferant: In quo negotio magna diætæ vis est. Scilicet quemadmodum agricolæ si oleum aut vinum vitium fecerit, aliquid vitiosi vini detrahunt, deinde vas optimo vino paulatim replent, sic vinum vel oleum in integrum restituitur: Ita in corpore humano noxa partibus a vitioso humore illata, paulatim apposito boni succi alimento tollitur. Hinc vinum generosum vetus, ejusdemve spiritus aromaticus parce usurpata, cerevisia bene defæcata & spirituosas, cibi expepti & exchymi, velut juscula carniū, ova sorbilia, carnes animalium pullo-  
rum,



rum, ptisanæ citro aromatibusque conditæ, & id genus alimenta alia, conveniunt, quæ expectationi certo certius respondebunt, si insuper aeris nocivi evitatio, vel saltem correctio, & otii cum negotio commutatio accesserit, si fluidum nerveum & sanguineum vario exercitiorum intra defatigationem subsistentium genere attenuatum, roburque membrorum lenioribus motionibus succussoriis denuo firmatum fuerit. Tandem permultum quoque opis est in frictionibus quotidianis, matutino & vespertino tempore cum nervinis humidis siccisve institutis, ad artus roborandos, quæ his languentibus mirifice subveniunt, atque opitulantur.

## T A N T V M.

S. D. G.


**I**Nter mortales, an *lassus*, quæritur, *ultro*, (\*)  
 Si datur, an morbi dicere signa queam?  
*Ultro* qui *lassus*, nego, pernego tempore cuncto  
 Effectu facto ponitur esse rei.  
 Efficitur lassus, datur & quod fecit eundem.  
 Non datur effectus, conficiente carens.  
 Tu *lassus* studiis, *languores* ecce! paravit  
 Ardor discendi, segnitiam fugiens.

Hic

---

(\*) Lassitudo quæ morbos præsignificat juxta §. II. hujus Dissert. I. Græcis κόπος αὐτοματος, seu *fatigatio ultronea* dicitur.





Hic Tibi languorem, hi dulcia signa dedere  
Quod poteris morbos pellere voce Tua.

Hisce rudis venæ lineolis *Nobilissimo*  
*Domino Doctorando* de felici studio-  
rum Apollineorum Catastrophe  
gratulatur

*Opponens*

ANDREAS ELIAS Büchner/

Philos. & Med. Doct. S. R. I.  
Acad. Nat. Curiosor. Collega.

**I**Nvalidæ & nullo firmatæ robore vires  
Corpus si invadunt, morbus acerbus subest  
Te monstrante, precor, vires iterumque reportes,  
Viribus ut Vires accumulesque Tuas.

Ita quævis bona & dona Corporis  
& Animi *Nobilissimo & Honoratiss.*  
*Domino Doctorando* ad Summos in  
Medicina Honores adspiraturo  
cordicitus apprecatur

*Opponens*

D. HIOBVS PHILIPPVS Ludolff/

Facult. Philos. Assessor Extr. &  
Prof. Publ.

